



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 86. Et cum surrexisset ab oratione. v. 45.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

non fecit, enasci potuit tale certamen. Causam jam §. 84. & supra dixi.

Accede nunc O anima mea, & quale hic coram te positum compassi-
onis incentivum sit, attentissime considera. Redemptorem tuum,
Regem cœlorum, orantem, paventem, agonizantem, sanguinem sudan-
tem, mentis oculo contemplare, non tamen sine profluvio tuarum lacry-
marum. Quomodo enim, O anima, lacrymas continere valebis, aspiciens
piissimi Domini tui guttas sanguinis decurrentes in terram! Cerne dili-
genter Iesum, totius suavitatis fontem, pallentem facie, genibus flexum,
tremantem corpore, corde vero mœrore transfixum, vultu, sudore san-
guineo tinctum, & juxta eundem Angelum confortantem, ei compati.
Hic tu gemere, flere, ululare, ne cesses.

§. 86. *Et cum surrexisset ab oratione. v. 45.*

Consolatus à patre, confortatus ab Angelo, secundum humanam
dico, naturam, resignatus omnimode ad voluntatem patris æterni, para-
tus ad omnia quæ superventura erant, lubenter volens suscipere quic-
quid tristitiæ, quidlibet tribulationum, & angustiarum, verbera cami-
ficum, alapas, flagella, spineam Coronam, Crucis duræ & magnæ baji-
lationem, suspensionemque, in eadem per clavos obtusos affixionem ul-
que ad ultimam sanguinis sui effusionem procedendo, pro redimendo
populo suo, gravissime peccatis oppresso, surrexit ab oratione, & in testi-
monium talis orationis reliquit benedictissimorum genuum suorum ve-
stigia in lapide quasi incisa usque in hodiernum diem, madente etiam terra
sanguineo sudore, & fortasse adhuc dum defluente.

O Beatum hortulum his guttulis irrigatum, beatiorum illo voluptatis
Horto, qui fonte quadifido dicitur irrigari. Gen. 2. O si ibidem fuisset
ut de fonte illo, vel rivulo bibere vel gustare potuiffem, in perpetuum sal-
va & sana mansisset anima mea. O quis mihi dabit bibere de fonte illo
Gethsemani nisi tu Christe Deus meus. Tu ipsum corpus & sanguinem sub
specie panis & vini consecrati in ultima tua cum discipulis cœna porrecta,
in remissionem peccatorum omnibus hodie dum proponis. Bibar ergo ex
eo corpus meum gratia tua annuente, bibar anima mea devotè & reuerentè
in remissionem peccaminum, vt non recorderis amplius contemptus illius
& iniuriæ, quam tibi irrogavi, sed sint omnia in tuo sanguine diluta,
& perpetuæ obliuioni, propter nomen tuum,
tradita. Amen.